

dictus est sine patre, et sine matre, et sine genealogia, et quod non habet initium dierum neque finem, non quia ista non habuerit, sed quia in Scriptura sacra ista de eo non leguntur. Et per hoc ipsum (ut Apostolus ibidem dicit) assimilatus est Filio Dei, qui in terris est sine patre, et in cælis sine matre, et sine genealogia, secundum illud Isai. 53: Generationem ejus quis enarrabit? et secundum divinitatem, neque principium neque finem habet dierum.

COMMENTARIUS.

Duo docet D. Thomas, quamvis unum tantum interroget. Affirmat enim Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, et negat fuisse secundum Leviticum ordinem. Utrumque vero fusius in sequenti disputatione tractandum est, ubi simul litteram hujus articuli explicabimus

DISPUTATIO XLVI,

In quatuor sectiones distributa

DE SUMMO CHRISTI SACERDOTIO ET PONTIFICATU.

Quamvis Div. Thom. solum de sacerdotali Christi dignitate in hac questione ex professo disputaverit, docuit tamen obiter, illum simul et sacerdotem esse, et legislatorem, et regem, et ideo de his tribus dignitatibus Christi sigillatim disputandum nobis erit; quanquam (ut mihi quidem videtur) munus legislatoris non omnino ab aliis duobus separatur, si in perfecto gradu et dignitate existant; ad regem enim pertinet potestas legislativa suæ dignitati proportionata, et similiter ad Summum Pontificem et sacerdotem, servata etiam proportione; quamvis enim non omnis sacerdos possit ferre leges, supremum autem Pontificem, et in eo ordine perfectam potestatem habentem, hoc munere fungi posse necesse est. Dicemus ergo primo de supremo Christi sacerdotio. Secundo, de potestate excellentiæ illi ut Summo Pontifici communicata. Tertio, de Christi regno et temporali dominio. Quoniam vero de effectu sacerdotii Christi, qui idem est cum effectu meriti et satisfactionis ejus, satis in superioribus disputatum est, ideo de hac re nihil amplius dicemus, sed solum de vera ejus ratione et excellentia.

SECTIO I.

an Christus vere et proprie fuerit sacerdos.

1. *Christus vere ac proprie sacerdos.* — *Sacrificii ratio in quo consistat.* — *Verus sacerdos qualis.* — Respondeo, Christum Dominum esse vere et proprie sacerdotem. Est de fide, quam ex professo probat Paul., in Epist. ad Heb., a c. 5, usque ad 10; et definitur in Concilio Ephes., can. 10; et in Trident., sess. 22, can. 1 et 2. Ratione declaratur optime a D. Thom., ex illo Pauli, ad Hebr. 5: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Quæ verba propriam definitionem sacerdotis continere videntur, et singula perfectissime in Christum conveniunt, ut facile constare potest, singula intuendo et applicando. Ut vero hæc ratio clarius percipiatur, advertendum primo est, sacerdotem dicere habitudinem ad sacrificium tanquam ad actum maxime proprium et quasi adæquatam; quamvis enim sacerdos alias etiam functiones sacras exercent, omnes tamen quodammodo ad sacrificium referuntur. Unde, licet aliquis habeat potestatem exercendi aliquid sacrum, non tamen est plene et consummate sacerdos, donec potestatem habeat sacrificium offerendi. Quod satis patet ex communi usu hujus vocis, et ex citatis verbis Pauli, et ex iis quæ statim subjungit: *Necesse habent sacerdotes pro suis delictis prius hostias offerre, deinde pro populi.* Hinc Justinus, Dialog. cum Tryphon., dicit, *Deum non accipere sacrificium, nisi a sacerdotibus.* Et Augustinus, epist. 49, q. tertia, hæc tria, *templum, sacrificium, sacerdos*, ponit ut sese consequentia. Idem apertius lib. 22 de Civit., c. 10. Secundo advertendum est ex Augustino, lib. 10 de Civit., cap. 6, sacrificium interdum sumi generatim pro omni actione, quæ in laudem Dei offertur, sive interna sit, sive externa. Quæ acceptio minus propria est, et quasi metaphorica, illique respondet similis acceptio sacerdotii; hoc enim modo omnes veri cultores Dei sacerdotes interdum appellantur, ut 1 Petri 2: *Et ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spirituales, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum Christum;* et infra: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, etc.* Et Apocal. 5: *Fecisti nos Deo re-*

gnum, et sacerdotes. Proprie tamen sacrificium est oblatio exterior et sacra, quæ Deo offertur, vel tanquam supremus quidam cultus Deo debitus in recognitionem supremi domini ejus, vel in gratiarum actionem, vel in satisfactionem pro peccatis, eorumque expiationem; oportet autem hanc oblationem esse sacram, ita ut circa illam aliquid sacrum exerceatur, per aliquam immutationem rei oblatae, ut per hoc sacrificium a simplici oblatione distinguatur, ut Gregor. docuit, et refertur in cap. Multi, 1, q. 1; et latius D. Thomas, in 2. 2, q. 85, a. 3; et infra, in materia de Eucharistia latius trademus. Advertit autem tertio D. Thomas in citato loco, hujusmodi sacrificium interdum esse posse privatum, quod unusquisque sua sponte offerre potest, dummodo et positiva lege prohibitum non sit, et convenienti modo fiat. Aliud vero est publicum et commune sacrificium, publica et communi lege institutum, ut nomine totius populi Deo offeratur, et hoc est propriissime sacrificium, quod omnes hac voce significari intelligunt; sacerdos autem est proprius hujus sacrificii minister, et ideo ad illum dicit propriam habitudinem. Et ideo dixit Paulus sacerdotem esse debere personam aliquam ex hominibus assumptam, ut hoc publico, et communi officio inter Deum et homines fungatur. Ex quibus omnibus concluditur ratio intenta, nam Christus Dominus unus ex hominibus assumptus est, seu electus et constitutus a Deo, *pro hominibus, in iis quæ sunt ad Deum*; id est, ad reconciliandum homines cum Deo, et sanctificandum illos, seipsum et vitam suam pro illis Deo offerendo, *sanctam oblationem et hostiam in odorem suavitatis.* Unde in nocte cœnæ seipsum obtulit Deo Patri, Eucharistiæ sacrificium simul et offerens, et instituens, ut Concilium Tridentinum supra docuit, illudque ut supremus Pontifex et sacerdos quotidie in Ecclesia offert *sacerdotum ministerio*, ut idem Concilium, c. 2, dicit cum Augustino, lib. 10 de Civit., c. 20; et Cypria., libro primo, epistola 3; Irenæ., l. 4 contra hæres., c. 32, et sequentibus. Denique in ara crucis seipsum obtulit in sacrificium pro humano genere, ut tota epistola ad Hebr. Paulus tractat, et idem Concilium Tridentinum supra docet, et D. Thomas hic, et infra, q. 48, art. 3; et optime August., lib. 4 de Trinit., c. 14, et lib. 1 cont. Adversar. Leg. et Prophet., c. 18; et in id Psalm. 98: *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus;* et in id Psalm. 64: *Impietatibus nostris*

tu propitiaberis, tu, inquit, sacerdos, tu victima, tu oblator, tu oblatio.

2. *Dubium.* — *Responsio.* — Sed circa hoc ultimum rogabit aliquis, quomodo Christus sacrificaverit seipsum tanquam verus sacerdos, cum neque se ipsum interfecerit, neque aliquid sacrum circa se in ara crucis exercuerit. Respondetur, vere et proprie Christum sacrificasse seipsum in cruce, sicut ipse, Joan. 17, testatus est: *Pro eis ego sanctifico meipsum*, id est, in sacrificium et hostiam offero, ut Cyril., Chrysost., Rupert., S. Thomas, et omnes exponunt; non est autem necesse ipsam hostiæ mactationem, et quidquid circa illam fit, propria physica actione a sacerdote fieri; sed satis est quod sub morali aliqua consideratione a sacerdote assumatur, et in sacrificium offeratur. Sic igitur Christus, licet non sese occiderit, voluntarie tamen mortem suscepit, et illam in sacrificium Deo obtulit, quo et pro peccatis nostris satisfaceret, et internum affectum suum devotio- nis et reverentiæ ad Deum manifestaret, et ita utebatur bene malitia occidentium ipsum, et quem illi inique interfeciebant, ipse pie ac religiose immolabat.

3. *Objectio.* — *Responsio.* — *Differentia inter oblationem mortis Christi et martyrum.* — Dices: ergo omnes martyres dici possunt sacerdotes, et seipsos in sacrificium offerentes. Quidam respondent, Christum non solum permisisse et obtulisse mortem suam, sed etiam active fuisse causam illius, ei cooperando per animam suam ut instrumentum Verbi. Sed hoc cum grano salis suscipiendum est, est enim in rigore falsum; nullo enim modo dici potest, Christum seipsum occidisse; occidisset autem, si active concurrisset ad mortem suam. Sensus ergo verus est, quem Cajetanus, jentaculo tertio indicavit, aliter mortem fuisse voluntariam martyribus, et aliter Christo; illis solum per modum acceptationis, Christo etiam per modum oblationis, quia illi nec poterant tyrannos impedire, ne tormentis eos afficerent, neque poterant in ipsis tormentis vitam suam tueri et conservare; Christus autem utrumque habuit in voluntate sua et potestate; potuit enim Judæorum vires infringere, ut satis Joan. 18, ostendit, cum ad verbum ejus omnes abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. Poterat etiam facere, ut instrumentum Verbi, ne ulla passionis instrumenta possent corpus suum lædere. Ac denique poterat vitam suam retinere et conservare, ut supra, disput. 32, late

tractatum est. Et propterea peculiari modo dicitur posuisse animam suam, et neminem eam sibi abstulisse, Joan. 10: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam; nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso.* Propter hanc ergo differentiam oblatio mortis Christi habet rationem sacrificii, non vero aliorum martyrum. Et præterea, quia alii martyres non sunt a Deo constituti ut se Deo offerrent in satisfactionem pro omnibus, sicut fuit Christus, nec sanguis eorum fuit pretium redemptionis, sicut fuit sanguis Christi. Unde eleganter Leo Papa, epist. 83, c. 4: *Dicant, inquit, quo sanguine sunt redempti; dicant quo sacrificio reconciliati; quis est qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem, et hostiam Deo in odorem suavitatis, aut quod unquam sacrificium sacratius fuit, quam quod verus Pontifex altari crucis per immolationem suæ carnis imposuit. Quamvis enim multorum Sanctorum in conspectu Domini pretiosa mors fuit, nullius tamen insontis occisio propitiatio fuit mundi.*

SECTIO II.

Utrum Christus, Deus homo, sit sacerdos in quantum Deus, vel in quantum homo, atque adeo an idem sit sacerdos et victima.

1. Dubium hoc propono propter nonnullos ex hæreticis hujus temporis, qui (ut refert Robertus Bellarminus, lib. 5 de Christo mediatore, c. 3) ita distinguunt inter Christum sacerdotem et victimam, ut sacerdotem dicant esse Deum, vel divinitatem; victimam vero hominem seu humanam naturam. Unde inferunt Christum non esse mediatorem ut hominem, sed ut Deum. Qui error antiquior est, nam, ut refert Euseb., lib. 10 de Demonstrat., c. 1, et ex illo Turrian., in Scholiis ad Clementem, lib. 8 Const., cap. 46, Arius dixit, Verbum ut Pontificem corpus humanum instar Agni de nostro grege sumpsisse. Hujus erroris nullum verisimile afferitur fundamentum, quod mihi hoc loco proponendum videatur.

2. Dicendum igitur breviter est, ipsum Deum Verbum ac Filium factum esse pro nobis sacerdotem et Pontificem, et pro nobis obtulisse sacrificium. Hoc est certum de fide, definitum in Concilio Ephes., can. 10, et fundatur in vera idiomatum communicatione. Unde Act. 20 dicitur Deus, suo sanguine adquisivisse Ecclesiam, et 2 ad Cor. 5, ait Paul.: *Deus in Christo, mundum reconcilians sibi.*

Ipse ergo Deus Verbum nos redemit, et pro nobis sanguinem fudit; ipse ergo est sacerdos noster. Res est clara, de qua legi potest Cyril., epist. ad Nestor., et in defension. 10 anathematismi; et Athanas., lib. de Human. Verbi.

3. *Verbum ratione humanitatis sacerdos fuit.*—Dicendum secundo est, Deum seu Verbum non nisi in humanitate seu ratione humanitatis potuisse esse sacerdotem, et per illam munus illud exercuisse, quanquam efficacia et excellentia illius sacerdotii ex dignitate divini suppositi manaverit. Tota hæc conclusio est clara, ac fere per se evidens, quia Deus ut Deus non habet superiorem cui sacrificium offerat, aut apud quem intercedat; ergo ut Deus non potest esse sacerdos, neque per ipsam divinam naturam seu voluntatem potest orare, aut sacrificium offerre; ad hoc ergo necessaria illi fuit natura humana. Et ad hoc confirmandum valent omnia, quibus supra, q. 1, art. 2, et tota q. 19, probavimus formale principium meriti, et satisfactionis esse humanitatem, et ad hoc fuisse necessariam incarnationem, ut Deus haberet naturam, per quam posset mereri et satisfacere, et ad hoc confirmandum multa ex Patribus adduximus, quibus simul probavimus, necessarium etiam fuisse divinum suppositum, ut valorem et efficaciam merito et satisfactioni tribueret; illud ergo idem suppositum necessarium fuit, ut hic sacerdos esset potens et efficax ad offerendum sacrificium, quod omni ex parte Deo satisfaceret.

4. Et hinc colligitur, nullo modo dici posse Christum ut Deum esse sacerdotem, sed ut hominem, vel ut Deum hominem. Hoc constat ex iis quæ de communicatione idiomatum dicta sunt, nam prædicatum, quod non convenit Christo ratione divinitatis, seu ut subsistenti in sola divina natura, non potest dici de Christo cum reduplicatione seu determinatione divinitatis, sed humanitatis, quia illa reduplicatio designat naturam, in qua seu per quam tale prædicatum illi convenit. Unde recte Ambrosius, lib. 3 de Fide, c. 5: *Idem, inquit, sacerdos, idem et hostia, sacerdotium tamen et sacrificium humane conditionis officium est; et subdit postea: Nemo igitur, ubi ordinem cernit humane conditionis, ibi jus divinitatis adscribat.* Et August., l. 1 de Consen. Evang., c. 3: *Secundum hominem, inquit, Christus et rex et sacerdos effectus est, ut esset ad interpellandum pro nobis mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* Et Ful-

SECTIO III.

Utrum sacerdotium Christi fuerit ejusdem rationis cum sacerdotio legis naturæ, veteris, aut novæ.

gent., de Fid. ad Petr., c. 2: *Solus, inquit, sacerdos, sacrificium, et templum, et hæc omnia Deus, secundum rationem servi.* Idem Cyril. supra. Potest autem etiam dici Christus sacerdos in quantum Deus homo, eo modo, quo supra diximus posse dici mereri et satisfacere in quantum Deum hominem, ita tamen ut intelligatur sacerdotium esse proprietas conveniens Christo, mediante humana natura; a supposito autem divino habere efficaciam, et excellentiam tale sacerdotium, ut satis explicatum est. Sed objiciet aliquis Cyrillum Hieros., cat. 10, dicentem, *Christum habere sacerdotium immutabile, quod nec tempore cœpit, nec successorem alium habebit sacerdotii;* ergo ante incarnationem, quæ in tempore cœpit, erat Christus sacerdos; ergo ut Deus. Respondetur primo non incepisse in tempore in ordine ad Deum, seu secundum divinam præordinationem, nam statim subdit: *Sed ante secula a Patre.* Vel certe intelligit non fuisse sacerdotem unctum oleo temporali, sed æterno, scilicet, divinitate ipsa, vel non accepisse in tempore personalem dignitatem, ratione cujus tale habet sacerdotium. Quomodo dixit Clemens, dicto lib. 8, c. 46, Christum esse natura sacerdotem, quia naturalem habet ad hoc dignitatem et excellentiam, requirit tamen unionem.

5. Ultimo dicendum est, eundem Christum esse victimam, et hostiam sacrificii, atque adeo idem dici posse de Verbo et Deo, non tamen cum reduplicatione, ut Deus est. Hæc omnia docuit hic D. Thom., art. 2, et 1.2, q. 102, art. 3, ad 8. Et sunt certa de fide, quia non sola humanitas fuit pro nobis oblata, sed Christus et Deus, sicut Deus fuit pro nobis mortuus, et pro nobis fudit sanguinem suum; unde Paul., ad Ephes. 5, de Christo loquens, inquit: *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo, in odorem suavitatis.* Et eodem modo loquitur ad Heb. 9 et 10; fuit ergo ipse Christus hostia et sacrificium; Christus autem non est sola humanitas; non ergo sola humanitas fuit hostia et sacrificium, sed Deus ipse in humanitate subsistens, non quidem in quantum Deus, sed in quantum homo, quia divinitas non potest esse ratio per quam Christo convenit in sacrificium offerri, nam potius est ratio secundum quam illi sacrificium offertur. Quæ omnia clara sunt, et sine difficultate. Circa quæ videri potest August., lib. 4 de Trin., c. 14, l. 10 de Civit., c. 22, et lib. Quæst. in Judic., c. 54; D. Thomas hic, a. 2, et 1.2, q. 102, a. 3.

1. Ratio difficultatis esse potest, quia Christus dicitur sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Sacerdotium autem Melchisedech fuit sacerdotium legis naturæ; ergo sacerdotium Christi fuit ejusdem rationis cum sacerdotio illius legis. Aliunde autem videtur, quod Christus fuerit sacerdos legalis, quia interdum illorum sacerdotum munera exercuisse videtur, ut Mat. 21, ubi ejecit ementes et vendentes de templo, quasi usus potestate sacerdotum. Et Luc. 4, ingressus synagogam Nazareth, surrexit ad legendum, et datus est ei liber Isaïæ, quod non licebat culibet laico; videtur ergo id fecisse quasi ex proprio munere, et tanquam existens in ordine sacerdotali. Unde August., lib. 1 de Pec. merit., c. 27, dicit, tunc Christum usum fuisse munere lectoris. Denique alia ratione apparet, sacerdotium Christi fuisse ejusdem rationis cum sacerdotio legis novæ, quia ordinatum est ad sacrificium ejusdem rationis offerendum, et ad eundem principalem effectum, qui est remissio peccatorum, et animarum sanctificatio.

2. *Comparatio sacerdotii Christi cum sacerdotio legis novæ.*—Dico primo: Christi sacerdotium non fuit omnino ejusdem rationis cum sacerdotio in lege nova ab ipso instituto, sed longe altioris et perfectioris. Conclusio hæc videtur certa, et colligitur ex D. Thoma infra, q. 63, a. 3 et 5, ubi dicit, characterem, atque adeo sacerdotium legis novæ esse participationem quamdam derivatam a sacerdotio Christi. Ex quo sumitur argumentum, nam Christi sacerdotium comparatur ad sacerdotium legis novæ, ut universalis causa ad particularem, vel sicut causa principalis ad instrumentalem; ergo est longe altioris rationis ab illo. Deinde ex effectibus et potestate sacerdotali hoc aperte constat, nam sacerdotium legis novæ habet potestatem alligatam sacramentis, nec potest aliquis consecrare vel sanctificare, nisi quod a Christo institutum est, et verbis ab ipso præscriptis (loquendo de consecratione, et sanctificatione perfecta); at vero sacerdotium Christi non fuit alligatum sacramentis, imo ab ipso sacramenta manarunt, unde potuit sine sacramentis, effectus sacramentorum conferre. Præterea, sacerdotium Christi tale fuit, ut ordinatum sit ad offerendum sacrifi-

eum, non solum incruentum, sed etiam cruentum, habens ex vi ipsius proximi offerentis valorem et virtutem ad sanctificandos illos pro quibus oblatum est; sacerdotes autem, qui sunt ministri legis novæ, solum possunt offerre sacrificium ut ministri Christi, et in virtute ejus, et ordinatum ad applicandum merita, et satisfactiones ejus. Denique sacerdotium hoc legis novæ per determinatam quamdam consecrationem, seu ordinationem conficitur, et quodammodo in impressione cujusdam realis characteris consistit; Christus autem non fuit ordinatus sacerdos per aliquam extrinsecam ordinationem, vel consecrationem; sed ex vi suæ originis, et hypostaticæ unionis, et divinæ ordinationis hanc dignitatem habuit; est ergo longe alterius rationis.

3. Unde obiter intelligitur, quod omnes Theologi, in 4, dist. 4, docent, hoc sacerdotium Christi non ponere in ejus humanitate aliquam realem qualitatem, seu characterem, ut docet etiam D. Thomas, dicta q. 63, art. 5; sed solum dignitatem et potestatem convenientem illi ratione unionis, per quam ejus humanitas, seu potius hic homo Christus est altissimo ac perfectissimo modo quasi designatus, et segregatus ab aliis hominibus, et potens ad intercedendum, et offerendum pro illis dignissimum sacrificium, ad sanctificandum illos; hæc autem dignitas et potestas partim includit dignitatem capitis, partim potestatem perfecte merendi et satisfaciendi pro aliis, partim vim effectricem gratiæ, partim denique divinam ordinationem, qua constitutus est Christus, ut esset mediator Dei et hominum; quæ omnia in superioribus fere explicata sunt, et nonnihil de mediatore addemus infra, q. 26.

4. *Sacerdotium Christi nec legale, nec secundum ordinem Aaron fuit.* — Dico secundo: sacerdotium Christi non fuit legale, seu ejusdem rationis cum sacerdotio legis veteris; unde neque ipse Christus fuit sacerdos secundum ordinem Aaron, neque origine aut successione, neque Dei aut hominum electione. Ita docet Paul., ad Heb. 7, 8 et 9, ubi imprimis docet Christum fuisse sacerdotem altioris ordinis, quia Aaronicum sacerdotium erat imperfectum, temporale, et juxta mandatum legis carnalis, quæ nec justificare poterat, nec perfectum facere servientem; Christi autem sacerdotium fuit perfectum, æternum, et secundum mandatum vitæ insolubilis. Deinde probat Christum non fuisse sacerdotem lega-

lem, quia ex Juda ortus est Dominus noster, in qua tribu nihil de sacerdotibus Moyses locutus est. Quæ ratio optime probat Christum non fuisse sacerdotem veteris legis, origine, et successione, quia non descendebat ex tribu Levi secundum paternam lineam. Primo quidem in re ipsa, quia non fuit genitus ab homine. Secundo, in existimatione, quia putabatur filius Joseph, de domo David. Tertio, quia etiam Beata Virgo per lineam suam paternam descendebat de tribu Juda, ut ex Paulo supra colligitur, et infra latius ostenditur. Et quamvis fortasse juxta aliquam maternam successionem Beatæ Virginis habuerit cognationem aliquam cum tribu Levi, illud tamen non sufficiebat ad sacerdotale munus, quod Leviticæ tribui et familiæ Aaron reservatum erat, ut constat Exod. 29, et Levit. 8, et 1 Reg. 2; unde rex Ozias, qui erat de tribu Juda, quamvis secundum maternam lineam descenderet ex tribu Levi, graviter a Deo percussus est, quoniam sacerdotale munus ausus est usurpare, et adolere incensum, 2 Paralip. 6. Et ratio clara est, quia illæ duæ tribus, regia et sacerdotalis, a principio fuerunt permixtæ, et conjunctæ matrimoniis, ut constat Exod. 6, et 4 Reg. 11; oportuit ergo distingui successiones earum per paternas lineas; alias statim fuissent confusæ, et nullus esset de tribu Levi, qui non posset esse sacerdos, quod aperte falsum est. Constat igitur Christum non fuisse sacerdotem legalem origine aut successione. Et hinc facile colligitur neque hominum electione fuisse ad hoc munus assumptum, quia tunc homines non eligebant ad hujusmodi sacerdotium, nisi eos qui veluti jure hæreditario erant capaces illius. Quod vero nec Deus illum ad hoc munus elegerit, certissimum est, quia neque traditione aut Scriptura hoc habetur, sed potius contrarium, nec ad dignitatem et perfectionem Christi hoc pertinebat, quia (ut inquit Augustinus, lib. 83 Quæst., in 61, et super illud verbum Psalm. 109: *Tu es sacerdos in æternum*) sacerdotium illud erat imperfectum, temporale, et per sacerdotium Christi abolendum; et ideo non oportuit Christum in illo ordine sacerdotum constitui. Et hoc confirmant, et a fortiori convincunt omnia quæ in prima conclusione adducta sunt.

5. Hic vero observatione dignum est, Waldensem, tom. 1 de Sacramentis, c. 116, n. 6, motum nescio qua historia Suidæ, verbo Jesus, et ratione dubitandi in principio hujus-

sectionis posita, asseruisse Christum electione sacerdotem fuisse constitutum inter Levitas in gradu et ordine lectorum. Sed hæc sententia plus quam falsa et Apostolo Paulo contraria mihi videtur; et historia illa Suidæ fabula potius Judaica, quam historia existimanda est, quia Christus Dominus neque ex stirpe Aaron, neque ex tota tribu Levi secundum paternam lineam descendit, ut explicatum est. Et ideo neque ad sacerdotium, neque ad ullum gradum Levitarum eligi potuit. Neque ex eo quod Christus in Synagoga Isaiam interpretatus est, argumentum aliquod ad hanc rem sumi potest; Actorum enim 13 quiddam simile legimus fecisse Paulum, qui nec sacerdos fuit, nec de tribu Levi, sed Benjamin; signum ergo est id licuisse viris doctis in lege, etiam si Levitæ non essent. Quod vero Christus ejecit vendentes et ementes de templo, non id fecit ut sacerdos legalis, sed ut Prophetæ, zelum Dei habens, et excellentiorem potestatem. Et ideo Matth. 21, et Joan. 2, a Pharisæis interrogabatur in qua potestate id faceret.

6. *Quale fuerit sacerdotium in lege naturæ.* — *Sacerdotium Christi excellentius sacerdotio legis naturæ.* — Dico tertio: sacerdotium Christi non fuit omnino ejusdem rationis cum sacerdotio legis naturæ, sed multo altioris et perfectioris. Advertendum est, sicut in lege naturæ fuit aliquod sacrificiorum genus, quo ritu publico et solemni colebatur Deus, ita etiam fuisse aliquod genus sacerdotii, quia (ut diximus) hæc duo veluti correlativa sunt, sacerdos et sacrificium; tamen, sicut in illo statu non fuerunt sacramenta, aut sacrificia ab ipso Deo determinata, sed humano arbitrio determinabantur, ita nec modus aut consecratio sacerdotum erat a Deo præscriptus, sed solum ex hominum electione aut deputatione aliqui assumebantur, ad offerendum Deo sacrificia, et intercedendum pro populo. Et, Hieronymo teste, ac Ruperto, et aliis quos statim in sequenti sectione citabimus, omnes primogeniti ex stirpe Noe procedentes, deputati erant eo tempore, ut sacerdotum munere fungerentur; et ita intelligendum est quod dixit Anaclet. Pap., epist. 2 Decretal., sacerdotium sumpsisse initium ab Aaron: *Quia, licet aliqui, inquit, prius legantur sacrificium obtulisse, ut Melchisedech, et Abraham, hi tamen spontanea voluntate, non tamen sacerdotali auctoritate hoc fecerunt.* Intelligendum enim hoc est de sacerdotio specialiter a Deo instituto, quod speciali aliqua cæremonia

a Deo determinata confertur, atque adeo de peculiari auctoritate et potestate a Deo ipso collata; hoc enim sacerdotii genus verum est ab Aaron incepisse. Nihilominus tamen certum est antea fuisse sacerdotes, quales explicuimus; nam de Melchisedech ait Paulus ad Hebr. 7, fuisse *sacerdotem Dei altissimi*. Qui tamen multo tempore Aaron præcessit. Quod necessario intelligendum est de illo sacerdotio, quod in usu erat tempore legis naturæ, ut indicavit Ambros., epist. 82, ante medium; et Chrys., hom. 35 in Genes. Ex his ergo evidenter concluditur assertio posita, quia sacerdotium Christi altioris ordinis est, et altiorem habet originem, quam sacerdotium Melchisedech; ordinatum etiam est ad offerendum sacrificium multo altioris ordinis et rationis; habet etiam potestatem excellentiorem, et effectus potest efficere, qui nullo modo poterant cadere sub sacerdotio in lege naturæ; ergo sacerdotium Christi infinita quadam ratione superavit legis naturæ sacerdotium. Et confirmatur, quia sacerdotium legis novæ multo perfectius est quam sacerdotium legis naturæ, quia sacrificium et potestas ejus multo perfectiora sunt, ut per se constat; et tamen hoc sacerdotium est inferius sacerdotio Christi, et participatio ejus; ergo multo magis excedit sacerdotium Christi, sacerdotium legis naturæ.

7. *Comparatio sacerdotii Christi cum sacerdotio legis naturæ, veteris et novæ, et ipsorum inter se.* — Ex quibus colligitur primo, sacerdotium Christi esse cujusdam eminentioris et altioris ordinis, habens in illo genere infinitam quamdam dignitatem ratione personæ; unde possibile non est, tale genus sacerdotii eodem modo et cum eadem perfectione alicui puræ creaturæ communicari, sicut in superioribus de dignitate capitis diximus; est enim eadem ratio. Ex quo etiam constat triplex illud genus sacerdotii, legis naturæ, veteris et novæ, quod puris hominibus communicatur, inferioris ordinis esse a sacerdotio Christi; quamvis omnia illa ad Christum aliquo modo referantur, et aliquam similitudinem cum illius sacrificio habeant: sacrificium enim legis naturæ in hoc habuit proportionem quamdam cum sacerdotio Christi, quod primogenitis concedebatur, qui Christum representabant, qui primogenitus est omnis creaturæ; obtinebatur enim sine externa unctione, aut visibili cæremonia, sicut Christus illud obtinuit; interdum etiam in externa specie rei oblatae in sacrificium simili-